



**Baldvini Cabilliavi E Soc. Iesv Magdalena**

**Cabilliau, Baudouin**

**Antwerpen, 1625**

Elegia XXII. Præsentia Christi spem facit suscitandi Lazari.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70461](#)

Et mea lux vitæ superâ iam pascitur aurâ,  
 Cui nece fraternâ pars bona lucis abest?  
 Et fratrem rapit, ah! oculis qui carior istis,  
 Aut oculis si quid carius esse potest?  
 Quis saltem dabit his aduoluat ut ægra fauillis,  
 Et bibat, heu! lacrymas quas sitit verna meas?  
 Ut concors inscribat Amor rorante sepulcro:  
 Si cinis est frater, tota fit vnda soror.

## ELEGIA XXII.

*Præsentia CHRISTI spem facit suscianti LAZARI.*

BETHANIA, memini, par nobile nuper in aulâ  
 Aurea sæcla tulit, frater & æqua soror.  
 Fortunata domus, socio si currere fuso  
 Stamina adhuc plenâ sors finat alba colu.  
 Sed bene concordi currentia sæcula filo  
 Præscidit haud æquâ Parca nouerca manu.  
 Mors damnat virides primæ lanuginis annos  
 Perpetuis tenebris, puluereaque domo.  
 Ah modò dulce decus, nunc illætabile nomen  
 Raptus abit frater; raptaque & ipsa soror.  
 Quid tibi nunc animi, cui fors tulit inuida fra-  
 trem,  
 Et cum fratre tuo mors decus omne tulit?  
 In lacrymas abeunt præcordia saucia luctu,  
 Turbidaque vndo so pectore vota tument;  
 Quis tantos tumido depellet pectore fluctus?  
 Vlcera quis molli lenier aspra manu?  
 Anxia quis mœsto deterget nubila vultu,  
 Quasque bibit salso lumine mœror aquas?

Ante

Ante tibi scindent fatalia stamna Parcae,  
 Immemori fratis quam cadat verna sinu.  
 Ah! oculis semper fraterna recurret imago,  
 Semper & haec vacuas fallet imago manus.  
 Semper enim gelidis colet hospita saxa fauillis  
     Frater, & in capto fratre sepulta soror.  
 Ferali ab solio sic mors iubet arbitra rerum:  
     Quâ cecidit, semper vita recumbet humo.  
 Sed tamen armipotens inuicto Numine vitdex,  
     Haec qui sceptrâ necis ferrea frangat, erit.  
 Ecce coronatus nardoque rosaque serenum  
     Adspirat Zephyrus fratis in ora diem.  
 Ipus adest, quondam fratis pius hospes IESVS;  
     Qui necis abrumpat vincula, victor adest.  
 Hic potis ingentem curarum euoluere molem,  
     Et modico nutu frangere tela necis.  
 Ille supercilium quo concutit æthera, terram  
     Mouerit, emotâ vita redibit humo.  
 Si modo tangat Amor (tangit pia flamma To-  
     nantem)  
 Ille tuis curis prouida cura calet.  
 Adspice Martha, cauam cui mens abit exsul ad  
     vnam;  
     Tuque adeò Marthæ pœnè sepulta soror;  
 Ut madidas laxat pius obses Amoris habenas,  
     Fratrius ut extincti sit nouus ille parens:  
 Ut teneros oculos mœror nouus imbuit vndis,  
     Ut tibi dulce fluit pignus amicitiae.  
 Ocyor ecce tuo (licet ille celerrimus) imbri  
     Spes ruit ad tumulū vincere prompta necem.  
 Explicat illa seden tristi super aggere pennas,  
     Et lacrymas alis siccata amica suis.

D

vt

Vt clam flos hiemans, auro quæ pingit & ostro  
 Ad solis radios, serica pensa trahit;  
 Erumpitque foras matris viridante sepulcro,  
 Graminealque struit verna corolla comas;  
 Promittitve graues ramis genialibus vuas,  
 Quæ viret apta rudi lancea gemma botro:  
 Sic nouus emerget vitæ natalis ab vrñā,  
 Succidaque è sicco puluere fila leget;  
 Deque cauo saxo viridi florebit in æuo  
 Frater, vt inde soror gaudia sera bibat:  
 Decerpitque nouos vitali è funere fructus;  
 Puluis enim vitæ semina læta vouet:  
 Et geminam seret vnius de funere vitam,  
 Sospes vbi viuet sospite fratre soror.

## E L E G I A X X I I .

*Ex lacrymis MAGDALENAE vita  
LAZARI.*

**I**N SOLABILIBVS suspiria mersa querelis  
 Mille per ærumnas vndat in ora dolor:  
 Et gemitum, gemitum geminas lacrymosa, que-  
 relaque:  
 At quis amans dextrâ ludit in aure sonus?  
 Spes erat, an fallor? non fallor, idonea votis  
 Spes erat: arguto murmure læta canit.  
 Lenè supercilium salit, ac fibra vibrat, & omen  
 Nescio quod vitæ candida spondet aus.  
 Iam tibi lanificæ noua fratris in orsa Sorores,  
 Candidiore trahent vellera pura manu.  
 Frigida mors calidos iam iam mirabitur artus,  
 Et regno fugiet mox tremefacta suo:

Ad.